

CHYTRAEUS (NATHAN)

TRISTIUM LIBRI DUO (1707 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition des poétiques de cet auteur publiée à Rostock, en 1579.

I

NATHANIS CHYTRAEI TRISTIUM LIBER PRIMUS.

(757 vers)

AD DN. UDALRICUM ET DE. ELISABETHAM PRINCIP. MEGAP. ETC.
 CONJUGES ILLUSTRISSIMOS.
 'PARAMUTHETIKON'.

(grec translittéré)

T1_1 v.1 Pectora quid gemitu excrucias, clarissime princeps ?
 2 Quod tibi fraterna semper amata fide
 3 Doreothea jacet ? Quid fletu rumpis ocellos
 4 germanae ad tumulos Elisabetha tuae ?
 5 Occidit illa quidem frigus letale videnti
 6 corporis, et gelidae pallida labra genae :
 7 verum animus superum felici sede receptus,
 8 aerumnis, lacrimis, funere liber agit.
 9 Cum Christoque suo (quem viva ardentem amavit,
 10 intrepida tenuit quem moritura fide,
 11 per quem nec rabiem mortis nec tartara sensit)
 12 suaviter aeternae dona quietis habet.
 13 Quisnam igitur lacrimis locus est ? Quae causa dolorum ?
 14 Omnia laetitiae sunt ubi plena novae.

ILLUSTRISS. DOROTHEAE DANORUM REGIS FRIDERICI I FILIAE,
CHRISTIPHORI DUCIS MEGAP. CONJUGIS.

T1_2 v.1 Christophori conjunx, Friderici filia primi,
2 Holsatiaequae ducum laude vehenda soror,
3 quin soror Elisabethae etiam, qua Cimbrias orae
4 et vix majus habent Balthica regna decus,
5 Doreothea cavi jacet hic sub marmore saxi,
6 dulce Dei munus quae modo viva fuit.
7 Ingenio et verae excellens pietatis amore,
8 sancta oculis, lingua, pectore, corde, manu.
9 Ore decens, sermone gravis, non dura clienti,
10 vestitu et victu sobria, blanda viro.
11 Dulce sed hoc munus, qui contulit, abstulit idem,
12 cujus in aeterna sunt sita cuncta manu.
13 Pareat huic conjux, fratres, soror aurea : quando
14 Non periisse illam sed praeiisse liquet.
15 Non moritur, bene transactae post tempora vitae
16 qui moritur, nescit vita beata mori.

ALIUD EJUSDEM.

T1_3 v.1 Cimbrorum regis Friderici filia primi
2 Doreothea isto fornice tecta cubat.
3 Quae soror, et neptis, glos, uxor, fratria regum,
4 non tamen inflato turgida corde fuit.

FATALIS EIDEM DIES.

T1_4 v.1 Callioream arcem quando nova nupta subivit,
2 Doreothea suo consociata Duci,
3 Martino sacrata dies illuxerat orbi,
4 plenaque erant risus omnia, plena joci :
5 en vix Phillyridae bis spicula Phoebus adussit,
6 fecit et autumnos Pleias orta duos,
7 lux eadem cum vix nuptae funesta, replevit
8 omnia lamentis, omnia lacrimulis.
9 Terrenisque illam sublatam ex arcibus, astris
10 intulit, et caeli regna tenere dedit.
11 Disce hinc mundanis quae sit constantia rebus,
12 si sapis, et superae gaudia quaere domus.

D. ALBERTO DUCI MEGAPOLITANO. ILLUSTRISS.

T1_5 v.1 Henrico generatus avo Magnoque parente
2 hoc dux Albertus conditur in tumulo.
3 Magnificus, magnique animi, patriamque juvando,
4 ornandoque simul justitiaque potens.
5 Quin etiam multa natorum prole beatus,

6 quos colit eximios Herula terra Duces.
 7 Fortunate senex, tua molliter ossa quiescant,
 8 vita etiam natis sit diuturna tuis.

GEORGIO DUCI MEGAP. FORTISS.

T1_6 v.1 Hic Magno prognatus avo, Albertoque parente
 2 dux jacet, Herculeo robore, corde, manu.
 3 Pro patria primo pugnare Georgius aevo
 4 suetus, et hostiles vi superare minas.
 5 Mars dolet, effundit lacrimarum flumina Moenus,
 6 optantes tantum non cecidisse Ducem.

HENRICO PACIFICO DUCI MEGAPOLITANO.

T1_7 v.1 Henrico prognatus avo Magnoque parente,
 2 hic situs Henricus condita membra tegit.
 3 Qui bonitate sua et meritis, linguaque senili
 4 Nestor erat, patriae duxque paterque suae :
 5 Nestore quin melior pietate et pacis amore,
 6 nunc ergo aeternae gaudia pacis habet.

MAGNO HENRICI FILIO DUCI MEGAPOLITANO ERUDITISS.

T1_8 v.1 Filius Henrici princeps re et nomine Magnus,
 2 flos patriae ante patris funera maesta cadit,
 3 par fatum Antilocho nactus, sed clarior illo,
 4 et melior studii nobilitate sui.
 5 Scilicet ingenio cunctos superavit et arte
 6 quos habet eximios Teutonis ora Duces.
 7 Illius ad tumulum Pitho, Aonidesque Themisque,
 8 tam celebrem lugent non superesse Ducem.

ALBERTO, IOHANNIS ALBERTI FILIO DUCI MEGAPOLITANO, PUERO GENEROSISS.

T1_9 v.1 Hic situs Albertus, quo se jactabat alumno
 2 herula gens, hic ille patri matrique voluptas,
 3 spes patriae, magni proles generosa parentis.
 4 Felicis nimium, propria haec si dona fuissent,
 5 quae tantum Deus ostendit, mox abstulit orbi.
 6 Heu miserande puer, tu nunc eris alter ab illo,
 7 tu Marcellus eris : tumulo date lilia plenis,
 8 Pierides, calathis, vestri monumenta doloris.

ALBERTO MARCHIONI BRANDEBURGENSI, DUCI BORUSSIAE PRIMO.

T1_10 v.1 Heroum decus, et specimen virtutis avitae,
 2 dux jacet hic belli gloria, pacis honos.
 3 Marchiaca quem stirpe satum coluere Borussi,

4 primus in hac princeps nam regione fuit.
 5 Cui quinquaginta placide et sex praefuit annos,
 6 dux pius, et legum justitiaeque parens.
 7 Hic Academiam primo his fundavit in oris,
 8 qui non majus habet terra Borussia decus.
 9 Hoc duce Castalios spirat mons Regis odores,
 10 spirat et Aonias Bregela cultus aquas.
 11 Nunc dolet exanimem Pietas, Respublica plangit,
 12 amissumque dolent templa scholaeque patrem.
 13 Una patrem patriae lux ut dedit, abstulit una :
 14 vix illi similem saecula longa dabunt.

IOANNI ALBERTO DUCI MEGAP. CELEBERRIMO.

T1_11 v.1 Nulli animis, nulli ingenio, nulli arte secundus,
 2 justitia multis et pietate prior,
 3 mente gravis, vultu facilis, dextraque benignus
 4 munifica, veri plenus amore Dei,
 5 Musarum columen, legum defensor et aequi,
 6 et commune sua pro bonitate bonum,
 7 hic situs est dux Joannes Albertus, amavit
 8 quem veluti carum Vandala terra patrem.
 9 Qui ludis templisque fuit profugisque patronus,
 10 vivere qui longo tempore dignus erat ;
 11 multo aliis citius tumulis infertur avitis,
 12 nec potuit decimam claudere Olympiadem.
 13 Disce hinc quam rapido regum quoque gloria cursu
 14 effluat, et vitae spem melioris habe.

D. EMERANO CIRINGIO.

T1_12 v.1 Inclita Parthenope Megalepolis inclita plange,
 2 occubuit vestros summum decus inter alumnos.
 3 Occubuit patris eximii clarissima proles,
 4 Ciringa de gente satus, flos aureus illi,
 5 flos nimium brevis et fluxus. Quandoque tenellum
 6 Parthenope genuit : genitumque aluere salubri
 7 ambrosiae succo dulces ante omnia Musae.
 8 Mox, quae fida Jovae summo comes assidet, illum
 9 jura Themis docuit, justumque ostendit et aequum :
 10 innumeris quibus ille aliis, dum vita maneret,
 11 profuit : inprimis quas Balthica littora tundunt
 12 totas implevit meritis ingentibus urbes,
 13 eximiis carus ducibus, populoque suisque.
 14 Sincerusque iterum, caris et amicus amicis.
 15 Huic tali licet et tanto, fera parcere Parca
 16 noluit in primo vernantis flore juventae.
 17 Pierides tamen aeternum meminere jacentis,
 18 cumque illis Themis alma gemit, gemit optimus ipse
 19 Dux, patriae columen, populus lacrimantia tergit
 20 lumina, patronique memor Chytraeus amici,
 21 hoc quoque lacrimis summi dat pignus amoris.

EIDEM CIRINGIO.

T1_13 v.1 Ignis ut accensus flammis qui illustribus ardet
 2 est brevior, citiusque jacet, si fumus eundem
 3 materia sudante premat : vivacior ille
 4 ingratum micat e tenebris, alimenta perosus
 5 Parca nimis. Sic Ciringi clarissima virtus,
 6 illustre ingenium, et gnarae sapientia mentis,
 7 iudiciumque senis juvenili in pectore salvum
 8 non potuit superesse diu : locus incremento
 9 nullus erat, virtutum apices et summa tenenti.
 10 Non mirare igitur juvenem periisse, per omnia
 11 eximium. Quin praeclaris virtutibus ejus,
 12 non annis senium numera, canumque videbis
 13 Nestora, quem Antilochum conspecta fronte putaras.

GEORGIO DABRICIO.

T1_14 v.1 Fabricium quando magni domus ardua caeli
 2 abstulit, et sanctos inter divosque locavit,
 3 terra decus periisse suum, laudemque perennem
 4 ingemuit, fecitque adeo convicia caelo,
 5 objiciens illi invidiam injustasque rapinas.
 6 Cui contra Caelum, et recte tibi perfida tantum
 7 eripui virtute virum, quo indigna fuisti.
 8 Nec tuus ille fuit misero dum vixit in orbe,
 9 sed meus. Hinc illi aeternam post fata coronam
 10 imposui merito, quam spes illius et ardens
 11 cum pietate fides dudum exspectare solebat.
 12 Cur retinere velis, qui terrae filius esse
 13 non voluit, sed caelesti flagravit amore ?
 14 Audiit haec probra et rixas magni arbiter orbis,
 15 et medius placide tantas componere lites
 16 talibus aggreditur. Probris desistite tandem,
 17 et cohibete animos. Neuter privabitur illo
 18 quem petitis. Nam Fabricio tam nobile nomen,
 19 quod nec fata queunt, nec mors abolere, nec urnae
 20 concessi : librosque ejus nulla eximet aevo
 21 annorum series, non invidiosa vetustas.
 22 Praeterea mens caelestes in pace triumphos
 23 exiget, et mundi curas contemnet inanes.
 24 Assensere Deo caelum et laetissima tellus.
 25 Sic igitur laus Fabricii, sic gloria vivet
 26 perpetuo in terris : in caeli spiritus arce
 27 exiget aeternos vitae immortalis honores.

D. OTTHONI COMITI SCHOUMBURGIO. BELLATORI HEROICO.

T1_15 v.1 Hic utrimque suae consortis imagine cinctus
 2 stat Comes illustris Iodoci filius Ottho,

3 Ottho Comes, Schoumburgiacaе primaria gentis
 4 gloria, consilio praestans dextraque fidelis
 5 ensifera, Turcisque olim Gallisque tremenda,
 6 Caesaribus dum pro patriis et rege Philippo
 7 bella gerit victor. Sed quem nec tela, nec hostes
 8 devicere, ardens mox pustula vicit, amanti
 9 et patriae eripuit. Flet, Mars, flevere, Camenae,
 10 ipse agit aeternos caelesti in pace triumphos.

DN. MARIAE POMERANAE, D. OTTHONIS COMITIS SCHOUMBURGII UXORI PRIMAE.

T1_16 v.1 Haec Maria est Pomeranorum sata principe forti
 2 Barnimo, quam conspicuus florentibus annis
 3 Ottho comes sibi consortem delegit, amore
 4 casto ardens, cui fulvo auro magis aurea virtus
 5 corpore in eximio regnans, animusque pudicus,
 6 admorant faculas. Quater illam masculus haeres
 7 effecit matrem, quorum Ottho hac conditur urna,
 8 tres etiam nunc consilio et virtute supersunt
 9 in patria et foris illustres, et honoribus aucti,
 10 e caelo genitrix quibus omnia fausta precatur.

IN STATUAM ELISABETAE URSULAE LUNAEBURGIACAE
 D. OTTHONIS COMITIS SCHOUMBURGII RELICTAE VIDUAE.

T1_17 v.1 Pulchra quidem haec statua, et matronae illustris imago est,
 2 pulchra oculos, formosa genas, digitosque tenellos.
 3 Sed quae viva memor mortis sibi talia condi
 4 Ursula mandavit, longe est formosior illis.
 5 Omnia sunt muta hic, motuque et sensibus orba ;
 6 illi autem pulchro mens est in corpore longe
 7 pulchrior, est sermo mentis pulcherrimus index,
 8 est pietas grege castarum comitata sororum.
 9 Ergo illam vivam potius quam flebile marmor
 10 ut liceat spectare, omnes uno ore precemur.

HERMANNO VECHTOLDO CONSULI LUBECENSI.

T1_18 v.1 Vechtoldus qui corde Themis Charin ore ferebat,
 2 Caesarei quondam pars celebrata fori.
 3 Maximus ingenio, dicendi maximus arte,
 4 vir tutela urbis confugiumque suae,
 5 hic jacet ante diem lugubri morte peremptus,
 6 consulibus totiens orba Lubeca dole.
 7 Non illo melior, non excellentior alter,
 8 non bonitate prior non pietate fuit.
 9 Tempore nam pacis, Suetici nam tempore belli,
 10 sustinuit fidi grande laboris onus,
 11 ut sibi commissam regeret feliciter urbem,
 12 esset et optato clara Lubeca loco.
 13 Quae nunc, et merito, exanimem tristissima plangit,

14 in patriam lacrimis officiosa suam,
 15 nam si quando Deus poenas meditatur acerbas
 16 urbibus, egregios eximit inde viros :
 17 imprimisque senes, mente, usu, aetate peritos,
 18 consilio placidos, iudicioque graves,
 19 illis si juvenum succedat fervida proles,
 20 spe, livore, odiis, ambitione tumens :
 21 in pejus tum cuncta ruunt, retroque feruntur,
 22 quisquis es hinc pestem disce cavere tuam.

IACOBO POTCAMERO.

T1_19 v.1 Gryphiaci praeses montis, pia regula morum,
 2 et Pomeranorum dextra oculusque ducum,
 3 Jacobus jacet hic priscae virtutis amator,
 4 Potcamerae summus nobilitatis honos.
 5 Ad tumulum luget pietas, prudentia, candor,
 6 relligio, bonitas, patria, cana fides.
 7 Effundunt Musae lacrimas, tantumque patronum,
 8 cultoremque sibi non superesse gemunt.

DAVIDI FREDERO.

T1_20 v.1 Vita quid ? Exilium, citius vel tardius omnes
 2 in quo jactati tecta paterna petunt.
 3 O infelices ! qui multum ambagibus usi,
 4 per brevia et syrtes hanc iniere viam.
 5 Felices autem compendia nota secutos,
 6 quos vitae in primo limine meta manet.
 7 Hic tuus est etiam superis hoc nomine David
 8 carior, absentis nomen adeptus avi.
 9 Qui vix hoc iter ingressus, jam vela reduxit,
 10 et portum lacrimis liber ovansque tenet.
 11 Gaude igitur, curisque modum cum conjuge pone,
 12 nil melius natum quam bene posse mori.

AD IO. FICHARDUM IC. CL. DE MORTE FILII.

T1_21 v.1 Summe vir, et legum antistes, carissime Musis,
 2 o decus et Moeni fama, Ficharde, tui.
 3 Forsitan, unde tuas veniant, miraris, ad aedes
 4 ignota penitus carmina scripta manu :
 5 mirari tamen incipies desistere, quando
 6 officii fuerit cognita causa mei.
 7 Scilicet arrepta cithara lugubribus odis
 8 cum canerem affinis lubrica fata mei,
 9 cui juveni Themidis felicia castra sequenti,
 10 pro lauro dederat busta suprema Padus ;
 11 traditur Albin quoque littera conscia luctus
 12 orti ex Christophori morte, Ficharde, tui.
 13 Quid facerem ? Unius qui jam modo morte dolebam,

14 mox sensi gemino corda dolore premi.
 15 Quem simul et gemino testari carmine visum est,
 16 hoc foret ut nati notior urna tui.
 17 Sic tua me virtus, sic scriptis nobile nomen
 18 impulit, et generis splendor honosque tui.
 19 Ignosces igitur temeraria forte Camena
 20 si mea conspecto carmine, visa fuit.
 21 Si pecco, peccavit amor, reverentia, candor,
 22 et te quae numquam fama latere sinit.
 23 Sed spondet meliora mihi tua prona voluntas
 24 in studia et Musas, magne Ficharde, meas :
 25 quas placuisse tibi cur non mihi gratuler ? Unus
 26 instar cunctorum nam potes esse. Vale.

CHRISTOPHORO FICHARDO. I. F.

T1_22 v.1 Claro patre satus, clarissimus indole clara,
 2 et clarum a Christi nomine nomen habens,
 3 exstinctus viridi jacet hic aetate Fichardus,
 4 Medoacus Clarias hic ubi spirat aquas.
 5 Ille equidem patris vestigia nota secutus,
 6 ad juga virtutis nobile cepit iter.
 7 Jamque Astraea illi sacri de vertice Pindi
 8 monstrabat nitidis sarta ferenda comis.
 9 Non tulit hoc Lachesis praestantibus invida coeptis,
 10 qua duce Christophori stamina rupta cadunt.
 11 Sic flos ille jacet crudeli falce recisus,
 12 obrutus et glaebis Itala terra tuis.
 13 Parce hostes tam fecundas effringere glebas,
 14 scilicet hae vitae nobile semen habent.
 15 Quod quondam aeterno revirescens flore nitebit,
 16 non metuens falces mors violenta tuas.
 17 Spiritus interea, tumulari nescius urna,
 18 incolit aetherei laeta theatra chori.
 19 Exspectatque sibi jungendi corporis artus,
 20 cum tuba vivificos edet acuta sonos.
 21 Pone modum lacrimis, pater optime, ponite fratres,
 22 Christophorus caelum funere nactus habet,
 23 quin meliora tenens et nobiliora relictis,
 24 aeternis fruitur mens opulenta bonis.

PHILIPPO A GEMMINGEN.

T1_23 v.1 Corporis excellens et mentis dotibus heros,
 2 et Gemmingiacae gloria prima domus,
 3 magnanimus, sapiens, facundo commodus ore,
 4 Aonidum excellens munere, dives opum,
 5 hic jacet ad Nicrum celeberrimus ille Philippus,
 6 nobilibus carus principibusque viris.
 7 Quippe Bipontinae praefectus strenuus arcis,
 8 Wolfgangoque fuit proximus ille Duci.
 9 Qui moriens curam natorum credidit isti

10 ceu noto ante alios integritate viro.
 11 Fecit idem princeps Charitini heroicus agri,
 12 cum peteret superas spe praeunte domos.
 13 Sed nec amicitiae, nec opes, nec nomen avorum
 14 mortiferas possunt hic inhibere manus.
 15 Felix qui vera dives pietate fideque
 16 heredi aeternas morte relinquit opes.

ERAS. STEINVICO ARCHITECTO ET STATUARIO PERITISS.

T1_24 v.1 Sobrius, assiduus, verax, industrius, aequus,
 2 cultor honestatis, relligionis amans,
 3 editus ad Rheni ripam officiosus Erasmus
 4 hic procul a patria gente domoque cubo.
 5 Ingenium puero felix mihi contigit ; artem
 6 discere Vitruvii cui labor omnis erat.
 7 Hinc usum perpendiculi normae atque dioptrae
 8 vix quisquam, melius qui modo nosset, erat.
 9 His ars Lysippi accessit clarique Myronis ;
 10 marmora nam varie fingere doctus eram.
 11 Quorum utrumque docent et signa et splendida tecta
 12 artifici a nobis saepe polita manu.
 13 Sed Deus extremi non temporis inscius aevi,
 14 me forsam plures aedificare domos
 15 non voluit. Subitaeque ideo me mole ruinae
 16 sustulit in caeli laeta theatra sui.
 17 Quisquis es, ingentes qui tollis in aera moles,
 18 quid sit homo interitu credere disce meo.

FRANCISCO WITZENDORFIO.

T1_25 v.1 Egregius Lunae consul, patre consule natus,
 2 hic sua Franciscus condita membra tegit.
 3 Cui puero placidis arrisit Pallas ocellis,
 4 quem Musae aetheriis excoluere bonis,
 5 Qui juvenis Gallos adiit, linguaeque magistram
 6 uberis, atque animi divitis Italiam.
 7 Hinc rediens, fido rexit moderamine cives,
 8 praeses et in magna maximus urbe fuit.
 9 Illius ora fides, placidam facundia linguam,
 10 incoluit pietas pectora, corda Themis.
 11 Sic patrias cumulans meritis ingentibus oras,
 12 creditus est urbis prima columna suae.
 13 Nunc ejus concussa gemit Respublica lapsu,
 14 irrigat et madidas quilibet ordo genas.
 15 Ipsa gemit virtus Musis comitata, sibique
 16 patronum talem non superesse dolet.
 17 Fida tamen tumuli custos est gloria, caelum
 18 incolit aeterno mens fruitura bono.

CONRADO ALBINO.

T1_26 v.1 Plangite laurigeri vocales plangite cycni,
 2 excidit e vestro candidus ille choro.
 3 Candidus Albinus, niveo cui pectus olore
 4 candidius, cordi consona lingua fuit.
 5 Cui cunctis prodesse bonis, nullique nocere
 6 cura erat, egregiis et placuisse viris.
 7 Carminis auctores qui carminis auctor amabat,
 8 et sibi qua poterat conciliabat ope,
 9 qui hospitio vates placido acceptare solebat,
 10 ad Moeni aurifluas lucra vehentis aquas.
 11 Cum consorte jacet nunc optimus ille, peremptus
 12 pestifera multos interimente lue.
 13 Quaerite nunc vobis alibi hospita tecta poetae,
 14 Albinus superis jam novus hospes adest.

IOANNI BORKIO.

T1_27 v.1 In patrias revocaretur cum Borkius arces,
 2 et jam praesto illi missa quadriga foret,
 3 tum Deus ingeniumque bonum miseratus, et aevi
 4 tot freta tot syrtes, tot vada tot scopulos,
 5 in veram hunc patriam juvenilibus intulit annis,
 6 jura ubi siderei mystica civis habet.
 7 Hic illum non insani contagia mundi,
 8 non laedet genii liberioris iter.
 9 Non iterum mors affliget. Vere ille beatus
 10 contigit in vitae cui bene flore mori.

LAURENTIUS KIRCHOVIUS MARITUS UXORI.

T1_28 v.1 Te viva, tecum atque in te carissima vixi,
 2 o etiam possem, te moriente, mori.
 3 Sed Deus hoc, fatumque tenax quia denegat aegre,
 4 qua licet et possum commoditate fruar.
 5 Invita tu morte meo sub pectore vives,
 6 meque animo eripient funera nulla tuo.

JUSTINA RUDELIA UXOR MARITO.

T1_29 v.1 Pone modum lacrimis, conjux carissime, mecum
 2 si cupis usque adeo vivere, parva mora est,
 3 parva mora est, vitaeque simul meliore fruemur,
 4 nam mihi viventi, mortua vita fuit.
 5 Interea tamen ipsa tuo sub pectore vivam,
 6 teque animo eripient funera nulla meo.

ANNAE KIRCHOVIAE.

T1_30 v.1 Consule nata patre, et conjux quoque consulis Anna,
 2 Kirchoviae cubat hic lausque decusque domus.
 3 Vix quaequam ingenio, vel casti laude pudoris,
 4 par erat huic, morum vel gravitate prior.
 5 Quid formam memorem ? Quid opes ? Quid stirpis avitae,
 6 matris adhuc vivae quid memorabo decus ?
 7 Quid recitem fratres ? Quorum Laurentius, alter
 8 Scaevola juridici gloria prima fori est.
 9 Sed nihil arcendae prosunt haec omnia morti,
 10 illa pari cunctos condicione rapit.
 11 Quisquis es humanis neglectis omnibus, uni
 12 et soli, et summo fidere disce bono
 13 quod placide moriens, vere cum fecerit Anna ;
 14 quis neget hanc vita jam meliore frui ?

THOMAE MAVERO.

T1_31 v.1 Elmena cur solitum praeter tuus aestuat amnis ?
 2 Dic mihi lucidulas quid tibi turbat aquas ?
 3 Quid lepidos tibi Luna sales, ipsasque salinas
 4 inquinat, ut sapidas jam minus esse putes ?
 5 Fallor an in causa est Maveri funus adempti,
 6 cujus in ore Charis salque leporque fuit.
 7 Qui persaepe pio mulcebat carmine ripas
 8 Elmena sive tuas, seu celer Albi tuas.
 9 Credibile est. Sed vos nimio desistite luctu,
 10 cui nulla aut saltem causa onerosa subest.
 11 Ille etenim in supera vates non ultimus arce
 12 nobiliora loco nobiliore canit.

DAVIDES CHYTRAEI PUERI VITA DEFUNCTI.

T1_32 v.1 Una Chytraeorum multos gens parva Davidas
 2 scitos ingeniis, indole, flore, dedit.
 3 Sed teneras ceu turbo rosas, sic rursus eosdem
 4 sustulit immiti mors properata manu.
 5 Sustulit, et miserae positus in limine vitae,
 6 reclusit patriae nobilioris opes.
 7 Dilecti siquidem Domino, quod amabile nomen
 8 indicat, hic longas non habuere moras.
 9 Felix quem vacuum sceleris, vitaeque laborum,
 10 infers angelicis, optime Christe, choris,

DAVIDI CHYTRAEI F. PATER LOQUITUR.

T1_33 v.1 En jacet exanimis pallente Davidulus ore,
 2 corporis atque animi dulcis imago mei.
 3 Quo veluti grano aut vitali semine glebas
 4 consero, Christe, tui semisepultus agri.

5 Semisepultus enim cur deneger ? Infero terrae
 6 qui partes animae tot totiensque meae ?
 7 Sed tamen est animus, certa est fiducia maesto,
 8 quae bene se vitae spe melioris alit.
 9 Post siquidem miseræ mortalia tempora brumae
 10 vivida perpetui gaudia veris erunt.
 11 Tum granum hoc fundet redivivum ad sidera florem,
 12 quem neque vis venti nec fera laedet hiems ;
 13 fragrantemque Deo semper qui sparget odorem,
 14 jam paradisiaci flos pretiosus agri.

D. WERNERO STAINCHIO, I. C.

T1_34 v.1 Ingenio placidus, verbis vultuque modestus,
 2 vir bonus, et juris justitiaeque decus,
 3 Wernerus jacet hic, paredrus bis quatuor annos
 4 Caesarei fuerat qui sine labe fori ;
 5 cum quartana tribus furiis soror addita febris,
 6 morti illum, in tabem postmodo versa, dedit.
 7 Quam patiente animo tres totos fortiter annos
 8 sustinuit, vitae spem melioris alens.
 9 Quam nunc in supera Paredrus fulgentior arce
 10 obtinet angelici lux speciosa fori.

WIRICHIO A GEMMINGEN PHILIPPI FILIO.

T1_35 v.1 Quid tibi flave Nicer lutulentas inquinat undas ?
 2 Dic mihi, dic vitreas quid tibi turbet aquas ?
 3 Dic mihi nympa tuae cur maesta in margine ripae
 4 implet flebilibus prata nemusque sonis ?
 5 An causam ignoras ? Pridem meus ille Philippus
 6 tum Gemmingiacae fida columna domus
 7 occubuit, tutorque mihi fidusque patronus,
 8 nunc etiam natus patris inivit iter :
 9 Wirichius cecidit, qui dum isti praefuit arci,
 10 imposuit ripis quam domus illa meis ;
 11 nil metuere meo celeres in gurgite pisces,
 12 nil mihi lucidulas impediebat aquas.
 13 Nunc lutulentus eo, et turbatis tristior undis,
 14 haec natum, ista patrem quando sepulcra tegunt.
 15 Heu natum unigenam, qui spes erat unica gentis,
 16 stirpis honor, patris gloria, matris amor.
 17 Quae nunc sidereos fletu corrumpit ocellos,
 18 a nato in vidua sola relicta domo.
 19 Causa quidem sat justa subest, sed comprime luctus,
 20 flave Nicer, lacrimas mater amica tene.
 21 Non nimium sunt deflendi, quos fletibus expers
 22 nunc habet aeternis vita opulenta bonis.

MARGARITAE LUSCOVIAE.

T1_36 v.1 Gemma domus Croniae castissima Margarita,
 2 Luscoviaeque simul fulgida gemma domus,
 3 hic jacet, exanimi spectes si corporis artus ;
 4 si mentem angelici pars ea certa chori est.
 5 Huic genitor consul, vir praestans laude senator,
 6 cui dedit e thalamo pignora trina, fuit.
 7 Virtutes patrias nati sine labe sequuntur,
 8 filia sed matris dulcis imago suae est.
 9 Sed nihil arcendae prosunt haec omnia morti,
 10 felix qui ad superos hic sibi munit iter.

OTTHONI VON DER LUHE, EQUITI MEGAPOLITANO.

T1_37 v.1 Hic situs est pietate senex meritisque verendus,
 2 Vandolicaeque decus nobilitatis Otho.
 3 Justitiae et virtutis amans, studiosus honesti,
 4 et patriae carus principibusque viris.
 5 Quinque mares, totidem natas in flore juventae,
 6 ceu thalami genuit pignora certa parens.
 7 Coniuge sublata bis denos insuper annos
 8 incubuit viduo, sed sine labe, toro.
 9 Sedecimique licet premerent confinia lustris,
 10 mente tamen semper constitit ille sibi.
 11 Et Christo precibusque vacans animaeque saluti,
 12 emeritus summum clausit in orbe diem.
 13 Hujus si fueris constans imitator Othonis,
 14 et patriae poteris carus et esse Deo.

D. LAURENTIO KIRCHOVIO IC. CL. OBITUM FILIAE LUGENTI.

T1_38 v.1 Si totiens morimur quotiens privamur amicis,
 2 ut gravis arguto Publius ore canit,
 3 heu quotiens, vir clare, mori te denique dicam,
 4 qui totiens video te sepelire tuos ?
 5 Nunc etenim fratrum, nunc lugens fata sororis,
 6 nunc tumulas casti pignora cara tori.
 7 Hae sunt deliciae, terrenae haec gaudia vitae,
 8 haec varia alternis sunt mala mixta bonis.
 9 Sed tamen haec mixtura piis sua commoda praestat,
 10 ipsaque mors summi proxima causa boni est.
 11 Nam quotiens nostros saevae inclementia mortis
 12 abripit ; et nobis vivere paene grave est.
 13 Atque ita mens pertaesa domus patriaeque caducae,
 14 paulatim summi flagrat amore Dei,
 15 aeternaeque adeo patriae, quam morte recludi
 16 virtutum statuit dux animosa fides.
 17 Praeterea quia mors verae reparatio vitae est
 18 nec bene qui moritur jam miser esse potest,
 19 sed vere potius felix, vereque beatus,
 20 possideat votis cum potiora suis.

21 Haec repetens animo legum clarissime vindex,
 22 filiolae ut fatum lenius oro feras.
 23 At tu quisquis ades, mortem non sperne, sepulchro
 24 assistens hodie, cras potes ipse tegi.

IOANNI PRENGERIO.

T1_39 v.1 Balthica Maenalis celebris Rhodus adjacet axi,
 2 Varnus cyniferas hic ubi volvit aquas.
 3 Hac urbe et patria florentibus integer annis
 4 est satus, Aonii spes celebranda chori
 5 Prengerius, patre Henrico prudente bonoque
 6 editus, et patriae cara columna domus.
 7 Illius ingenium Rhodiae excoluere Camenae,
 8 Lanus et Aoniis clarus Elister aquis.
 9 Ingenium facile, et variis versatile donis
 10 argutum, lepidum, nobile, come, fuit.
 11 Ingenui mores, cordatum pectus, et alte
 12 conspicuum heroo robore corpus erat.
 13 Quin juveni albebant laudati in vertice cani,
 14 olim quo notus nomine Cycnus erat,
 15 strenuus et Tarchon, agilisque Erginus, uterque
 16 canitie celebris redditus ante diem.
 17 Pindaricas hic ad citharas laudatus ; at ille
 18 Virgilii a Musa nobile nomen habens.
 19 Talis vita fuit, placide perferre patique
 20 officiisque pares conciliare sibi :
 21 non temere adversari aliis, contemnere nullum,
 22 atque adeo quovis Pamphilus esse loco.
 23 Testis erit Rhenus, Lycus, Isara, Moenus et Oenus,
 24 quin etiam Venetum regia testis erit.
 25 Testis erit mundi domiti caput inclita Roma,
 26 et Thybris, et rapidis Arnus amoenus aquis,
 27 nec celer Eridanus fluviorum rector id ipsum,
 28 ruperit huic quamvis vivida fila, negat.
 29 Scilicet Ausoniis rediens huc fessus ab oris,
 30 urbs ubi de ferro nobile nomen habet :
 31 jam patriae cupidus, patriae caelestis adivit
 32 gaudia, quae longi meta laboris erunt.
 33 Hinc ille excelsa veluti speculatur ab arce
 34 omnia, quae vivo visere dulce fuit.
 35 Hic doctrinarum discit de fonte perenni
 36 omnia, quae vivo discere dulce fuit.
 37 Hic ille, haud Themidis studiorum praemia laurum,
 38 aut sponsus Cypriae myrteaserta capit ;
 39 verum amaranteo vitalem e flore coronam
 40 accipit e manibus, Christe benigne, tuis.

HENRICO PRENGERIO SENI OPTIMO, ET GERTRUDI LEVARDIAE MATRONAE PRUDENTISS.
 SOCERO ET SOCRUI S. CARISS.

T1_40 v.1 Et vobis dilectae animae quod debeo carmen

2 accipe cum cara compare, care socer.
 3 Tu civis bonus, et patriae primarius urbis,
 4 cultor honestatis, lux pietatis eras.
 5 Illa decus matronarum, lepida ore, pudica
 6 corde erat, ingenio, corpore, mente valens.
 7 Pro turba rixisque fori pia templa placebant
 8 utrique, et simplex relligionis amor.
 9 In rebus factisque fides, in pectore, nostro
 10 hei nimium rarus tempore ! Candor erat,
 11 larga manus fidei sociis, templique ministris,
 12 verus et in quosvis non simulatus amor,
 13 vestitus moresque graves, et sobria victu
 14 mundities, domui non onerosa suae.
 15 Inprimis graviter numerosam educere prolem
 16 curae erat, exemplis huicque praeire bonis,
 17 nomine quo grates vobis debere fatentur
 18 cum generis castae sollicitaeque nurus.
 19 Inprimis vero generi, quibus optima socrus
 20 virtutis liquit ceu simulacra suae
 21 quatuor egregias natas, domuique regendae
 22 assuetas teneris prorsus ab unguiculis.
 23 Hoc cum Pauliade grato fert Stuvius ore,
 24 hoc ego Gertrudis laetus amore meae.
 25 Quarta etenim matri in caelum tumultata praeivit,
 26 tres superant domibus fulcra decora suis.
 27 Quas ut cumque viris tenerisque nepotibus omnes
 28 servet, qui voti est conscius, oro Deum.
 29 Interea, dilecte socer, socrusque verenda,
 30 vestra hic juncta urnis molliter ossa cubent.
 31 Dum tuba vos in sublimem subita evocet aethram,
 32 donet et angelici gaudia vera chori.

CHRISTOPHORO HORTENSIO.

T1_41 v.1 Occubuit Rosei cultor fidissimus horti,
 2 Hortensius suavissimus.
 3 Lugete o herbae, plantae lugete tenellae,
 4 lugete dulces flosculi.
 5 Vix hoc candidior, vix accuratior ullus
 6 umquam hortulanus contigit.
 7 Qui melius nosset firmo circumdare saepto
 8 sophiae sacratos hortulos.
 9 Qui melius posset purgare, rigare, fovere
 10 brevi feraces surculos.
 11 Qui magis optaret nimio turgentia luxu
 12 falce amputare germina.
 13 Qui magis odisset ranas, lappasque sequaces,
 14 talpas, rubetas, viperas.
 15 Verum ita dum plantas et flores tractat amoenos,
 16 caelestis ecce flosculus
 17 est factus, subito superos translatus in hortos,
 18 ubi perenni vividus,
 19 imbribus et ventis illaeso flore micabit

20

illustris instar sideris.

IOANNI PLACOTOMO.

T1_42 v.1 Joannes jacet hic clarissimus arte medendi,
 2 cui Placos illa tome nomina nota dedit,
 3 Pregela flave, tui Rectoris funera plange,
 4 cumque hoc unanimi Vistula plange sono.
 5 Ripam etenim vestram medicis ornare solebat
 6 floribus, et morbos arte fugare graves.
 7 Barbariae simul impatiens, cui fortibus armis
 8 restitit, Aonii cultor honosque chori.
 9 Hic amor, hoc studium, seros sic attigit annos,
 10 felix hac ipsa condicione senex :
 11 ni prius armorum fremitus, funestaque belli
 12 principia in patriis ingemisset agris.
 13 Tunc igitur, ne morte ipsa graviora videret,
 14 intulit huic cupidus mors satis aequa manus.
 15 Namque alii impliciti curis dum anguntur, et haerent,
 16 quae sit tam variis meta futura malis,
 17 illius tumulum florens Hygiaea corollis
 18 et decorat querulis Calliopea modis.

CHRISTOPHORO SCHELLENBERGO.

T1_43 v.1 Conditur hoc vates sub caespite Schellenbergus,
 2 cui nomen mons et tinnula nola dedit.
 3 Scilicet Aonii contendit in ardua montis,
 4 et sonuit castis carmina grata choris.
 5 Nomine quo Muis carissimus ille Siberus,
 6 Uranie cujus vim gravitatis habet,
 7 collegam et generum hunc legit, nunc unde nepotes
 8 hei nimium subito patre jacente videt.
 9 Hei videt, et gemitus imo de pectore fundit,
 10 dum curam et munus patris avique gerit.
 11 Hoc Domino, sibi fidentem qui fallere nescit,
 12 sic placuit, curas pone, Sibere, tuas.
 13 Qui vitam dedit, is vitae quod postulat usus,
 14 ut dedit ante tibi, sic dabit inde tuis.
 15 Mons generi interea caput inter nubila condant,
 16 aeternumque sonet nola canora melos.
 17 E tumulis donec redivivi buccina Christi
 18 evocet ad vitae nos melioris opes.

DOROTHEAE MELCHIORIS DANCQUARDI FILIOLAE.

T1_44 v.1 Condidit hic humili Dancquardus Melchior urna,
 2 Dorotheam thalami pignora cara sui.
 3 Supra annos hilarem, blandam, lepidamque puellam,
 4 matris delicias, effigiemque patris.
 5 Sed prope sexennem, fuerat qui muneris auctor,

6 hanc Deus in gremium sustulit ipse suum.

ANNAE BATTAE.

T1_45 v.1 Dum malus accenso minitatur ab aethere vates,
 2 ignivomam ducens stella comata facem,
 3 Battiadae cara de conjuge nascitur infans,
 4 vagitu aerumnae tum quoque praeco suae.
 5 Mox etenim instantes mater gemebunda labores
 6 finit in aeternas morte recepta domos.
 7 Heu quanto infante est genitrix felicior ! Ipsa
 8 nam quis perfuncta est, hunc sua fata manent.

BENEDICTO TEUBERIO.

T1_46 v.1 Leucoridum decus, et Themidis castaeque Minervae
 2 Teuberius senior, meritis ingentibus urbem
 3 dum cumulat Varni, Rhodiasque hoc nomine Musas
 4 exhilarat, litique vetat connectere lites :
 5 indigne tulit hoc Eris invida, cumque parentes
 6 laedere non posset, fato prohibente Deoque ;
 7 Atropon induxit, quae illius stamina nato
 8 rumperet, et patri presso anxietate, dolorem
 9 longe etiam propria graviorem morte crearet.
 10 Sic, Benedicte, jaces clari patris optima proles.
 11 Nec te vel probitas, Latiive scientia juris,
 12 non matris lacrimae, gemitus non patris amati,
 13 non Astraea potens morti subduxit avarae.
 14 Sed Christo tamen innitens, Christique cruentis
 15 vulneribus, vitae cum cursum absolveris aegrae ;
 16 quis te non vero Benedictum dixerit ore ?
 17 Felicemque adeo et carum caelestibus ipsis,
 18 praereptum tot jam aerumnis, tot gaudia nactum.

IOHANNI AB HERVERDEN CONSULI ROSTOCHIENSI.

T1_47 v.1 Consul honor patriae, canis venerandus et annis,
 2 ambitionis et invidiae, livoris et irae
 3 expers injustae, juris defensor et aequi
 4 sollicitus, facilisque bonis, pravisque severus,
 5 percupidus prodesse aliis, nullique nocere,
 6 omnigenae virtutis amans, et amabilis ipse
 7 simplicitate sua, et nivei candoris amore,
 8 hic pater Hervordae gentis jacet, optimus ille
 9 emeritusque senex, qui pridem consulis amplo
 10 deposito officio, privatam degere vitam
 11 in viduo instituit thalamo, precibusque vacare
 12 divinisque adeo libris, animaeque saluti.
 13 Quam dubio procul in caelo jam nactus, et olim
 14 defunctae uxori et natis jam redditus, inter
 15 caelicolas non postremus, videt astra serena

16 sub pedibus, natisque piis post fata relictis
 17 cum generis, nuribus, tenerisque nepotibus optat
 18 omnia praesenti venturaeque optima vitae.

HENRICO CHYTRAEIO FILIOLO SUAVISS. PATER.

T1_48 v.1 Ex animo te dilexi, carissime fili,
 2 fecit idem flagrans mater amore tui.
 3 Fecere id fratres. Patrium sed vicit amorem
 4 in te siderei cura benigna patris.
 5 Fraternaliter frater superavit Christus amorem,
 6 pro terra in caeli dans tibi sede locum.
 7 O factum pulchre ! Dominus dedit, abstulit idem,
 8 illius aeternum sit benedicta fides.

WILHELMO PANCALO LAURENTII F.

T1_49 v.1 A multis galeis veteres dixere Vilelmum,
 2 nomen id est nato, Pancalae care, tuo.
 3 A Duce sic dicto, quem Luna veretur et Ocra,
 4 qui gestans Roseae fulgida sceptrum scholae.
 5 Compater est etiam factus tibi, quando tenellum
 6 Pancalon e sacrae fonte levavit aquae.
 7 Sed nihil hic galeae, nil regum sceptrum Ducumque,
 8 vulnificae contra spicula mortis agunt.
 9 Illa rapit pueros, pariter juvenesque senesque,
 10 optima si nondum sollicitata venit.
 11 Hoc cum, clare, tuo contingat, Pancalae, nato,
 12 desiste a querulis cum genitrice sonis.
 13 Namque ibi nunc ille est, ubi nullus cassidis usus,
 14 dux ubi cum populo condicione pari est.
 15 Nullae ubi sunt lacrimae, nullus dolor, omnia laeta,
 16 omnia de summi fonte beata boni.
 17 Hic nunc ille suo cum nomine congruus, omni
 18 ex parte, et vere "pankalos" esse potest. (grec translittéré)

IULIO CUMMERSTADIO.

T1_50 v.1 Quondam sollicita fuerat cui nomen ab urbe,
 2 conditur hic patria clarus Iulus humo.
 3 Patria Misna fuit, juvenem informavit Elister,
 4 et Padus, et Clariis turgidus Arnus aquis.
 5 Fidus ubi cultor Themidis castaeque Minervae
 6 creditus est gentis fama futura suae.
 7 Et fuit. Ast illi numquam rarove valenti
 8 iniecit lentas invida Parca manus,
 9 se juveni nocuisse putans. Verumtamen ille
 10 qui modo sollicita civis in urbe fuit,
 11 indigena aeternae patriae est, urbisque beatae,
 12 a qua jam melius nomen et omen habet.

ARNOLDO BURENIO. V. CL.

T1_51 v.1 Phillyrides jacet hic, non Thessalus ille, sed idem
 2 genti huic, qui Graiis Thessalus ille fuit.
 3 Formator juvenum linguae, morumque magister,
 4 Socraticique caput, norma, decusque chori :
 5 Burenium dico, cujus doctrina fidesque
 6 hujus erat columen, vita, vigorque scholae.
 7 Dulcis erat Ciceroneae vox aemula linguae,
 8 et summus Christo dicere grata labor.
 9 Quod si signiferum Chironis sidera pingunt,
 10 quanta erit in caelis gloria Burenii ?

VALENTINO HASLOCHIO CONSULI WORMATIENSI, ET ELISABETHAE SCHONBERGERINAE.
AD M. FRIDERICUM ZORNIUM V. DOCTISS.

T1_52 v.1 Hic ubi Vangionum tempe secat aurea Rhenus,
 2 Haslochius fida cum conjuge Calliorea
 3 illatus tumulo est, praestans pietate fideque,
 4 tresque decemque inter proceres illustris honore,
 5 bis Berbetomagi consul primarius urbis.
 6 Digna viri virtute fuit laudabilis uxor
 7 Elisabetha, domus columen, prolisque venustae
 8 et castae genitrix, carique corona mariti,
 9 matronaeque adeo specimen gravis atque pudicae.
 10 Quos veluti thalamo vivos conjunxerat uno
 11 mens una ; exsanguis sic mors quoque funere tristi
 12 vicinis iterum tumultis jungit et urnis,
 13 donec perpetuae evigilent ad gaudia vitae.
 14 Id quod eis, Friderice gener cum conjuge, fido
 15 exoptas animo, soceri qui carmine manes
 16 nos ornare jubes, tibi cum meliora Camenae
 17 suppeditent, qui jampridem ductore Micyllo
 18 Lotichioque usus fontis penetraveris undas
 19 Castalii, et Musas tibi sis expertus amicas.
 20 Gratificor tanto tamen haud invitus amico.

II

NATHANIS CHYTRAEI TRISTIUM LIBER SECUNDUS.

(950 vers)

AD PRUDENTISSIMUM FRANCISCUM WITZENDORFIUM, COS. LUNEBURGENSEM.

T2_1 v.1 Miraris cur ista tibi lugubria mittam,
 2 clare vir, et patriae fida columna tuae.
 3 Tristia sunt fateor ; tibi laeta libentius ipse
 4 misissem, sed non sors id iniqua tulit.
 5 Laetos laeta decent, ut tristes tristia ; quare
 6 dum sentis vidui tristia damni tori,
 7 accipe quae mitto placide ; sic plurima gentis
 8 uxorisque tuae nomina grata leges.
 9 Invenies etiam complura domestica vobis
 10 funera, quae luctus causa fuere mei.
 11 Haec ubi, cum lacrimis insit quandoque voluptas,
 12 nomine amicorum grata futura scio.
 13 Tu sospes gentique tuae natisque duobus,
 14 aspicias patriae prospera fata tuae.
 15 Det Deus, ut quos uxori mors abstulit annos,
 16 augeat his vitae candida fila tuae.
 17 Ut senior videas tua per vestigia natos
 18 ingressos, laudes aequiparare tuas,
 19 florentisque adeo patriae servire saluti,
 20 cujus tu flagras totus amore. Vale.

HIERONYMO WICENDORFIO COS. LUNEB.
 IPSIUSQUE VIDUAE ANNAE, MATRONAE EXIMIAE.

T2_2 v.1 Quisquis es, hic, quamvis properes, subsiste viator,
 2 nam tegit hic unus corpora bina locus.
 3 Quorum mens superas feliciter incolit arces,
 4 nam meritis conjunx rarus uterque fuit.
 5 Ipse maritus enim Lunae Wicedorffius arcis
 6 et pater et consul publicus urbis erat.
 7 Anna domi cunctos, ceu mater, juvit egenos,
 8 quorum praesidium confugiumque fuit.
 9 Ergo patrem et matrem patriae locus iste recondit,
 10 ignarum quem te praeteriisse nefas.

ALIUD.

T2_3 v.1 Hic, Wicedorffe, tui praestans Hieronyme lecti

2 et decus et requies Anna sepulta cubat.
 3 Feminei exemplum generis, matrisque verendae,
 4 inter honoratas summaque fama nurus.
 5 Larga manu, pia corde, piis sanctissima factis,
 6 est quibus ardentem testificata fidem.
 7 Et passim toti quibus olim profuit urbi,
 8 pauperibus columen praesidiumque piis.
 9 Salve, sancta parens, caeli quae sede recepta,
 10 nunc aeternarum fenora carpis opum.
 11 Cumque suos patriae patres urbs Romula jactet,
 12 cur patriae matrem te tua Luna neget ?

URSULAE GARLOPIAE.

T2_4 v.1 Heroina decus domui, soboli, atque marito,
 2 inter laudatas gloria prima nurus,
 3 ursae nomen habens, ove blandior Ursula, corpus
 4 hic posuit placida morte perempta suum.
 5 Consule nata patre, et summi post consulis uxor,
 6 Garlopius genitor, vir Wicedorffus erat.
 7 Urbis uterque suae columen, laus magna senatus,
 8 arx ubi de Luna nobile nomen habet.
 9 Tanto nata viro, tanto conjuncta marito,
 10 nunc hominum solita condicione jacet.
 11 Vir gemit, uxoris tumulo sua gaudia condens,
 12 illa sed aetheriis gaudet inesse choris.

CONRADO PEGELIO.

T2_5 v.1 Hac ego Conradus candor Pegellius urna,
 2 quo senior tota nullus in urbe fuit.
 3 Patria Wismaria est, Varnus mihi cynifer artes,
 4 Musa animum, mores Gratia grata dedit.
 5 Hinc, dux Magne, tua fidus praeceptor in aula,
 6 emerui custos principis esse mei.
 7 Quin duodena fere juvenes me lustra docentem
 8 viderunt Roseae pulpita sacra scholae.
 9 Dedita mens studiis, blandi sine crimine mores,
 10 ingenium placidum, sobria mensa fuit.
 11 Inde mihi florens et non onerosa senectus,
 12 dissolvit placida fila suprema manu.
 13 Nunc ego longaevus merito post funera dicor,
 14 incipiam vita cum meliore frui.
 15 Instar ubi hesternae sunt anni mille diei,
 16 dicitur haec merito longa, sed illa brevis.
 17 Qui sim, quis fuerim, nosti : jam perge, viator,
 18 et vitam veluti cras moriturus age.
 19 Si tamen ad seros aspiras vividus annos,
 20 ut tua sit vitiis pura juvenata, vide.

IOSIAE RICHIO.

T2_6 v.1 Quis jacet hic ? Christi praeco. Quo nomine ? Regis
 2 Iosiae. In patria num jacet ille sua ?
 3 Non jacet : infantem procul hinc mons Regius olim
 4 edidit, ad ripas Bregela culte tuas,
 5 cum patre Varniadum juvenis post venit ad undas,
 6 factus et est Roseae pars quotacumque scholae.
 7 Quod studium ? Pietas illi, et sacra scripta placebant,
 8 in quibus et tituli praemia certa tulit.
 9 Quin alias etiam saepe est digressus in oras,
 10 quae sita sunt medio Balthica regna mari.
 11 Illum cum Batavis culti videre Britanni,
 12 videre et populi Gallia dira tui.
 13 Qui fuerit candor, quam mores labe carentes,
 14 quam fuerit studiis deditus ille suis :
 15 Sequana testis erit, populosa Lutetia testis,
 16 testis erit Scaldis, Delia testis erit.
 17 Quid rediens ? Pietate parens senioque verendus
 18 cum peteret superas morte vocante domos ;
 19 natus in officio patri hac successit in aede,
 20 cui similis studio mente fideque fuit.
 21 Sed breve curriculum et coeptos cito meta labores
 22 finiit, in caelo jam sine fine manet.
 23 Haec vere patria est, haec illi mansio vera,
 24 non hic certa quies, non domus una fuit.
 25 Quin placide moriens mortem non vidit, et ipse
 26 quod docuit, caeli laetus adivit iter.
 27 Quis dolet extinctum ? Demisso Ecclesia vultu,
 28 mater et in vidua sola relictata domo.
 29 Unicus et frater Phoebea clarus in arte.
 30 Quid conjunx ? Caelebs mortuus ille cubat.
 31 Carmina quis fecit ? Caro Chytraeus amico
 32 edidit haec studii signa suprema sui.
 33 Quem quondam sociumque viae, comitemque laborum,
 34 ad cathedras habuit, Sequana flave, tuas.
 35 Litoris Armorici cum quo lustraverat oras,
 36 Oceani refluas et supererat aquas.
 37 Unanimis cum quo Tamesin conspexit, et urbes
 38 quas Morini, Franci, Bellovacique colunt.
 39 Jam meliore loco Josia et sede receptus,
 40 aeternum vero nomine dives eris.
 41 Me mea fata manent, casu tu liber ab omni es.
 42 Hei quanto melior sors tua sorte mea est !

MATTHAEO CHYTRAE PATRI CARISSIMO.

T2_7 v.1 Qui te sincero coluit Matthaeus amore,
 2 qui sparsit verbi semina, Christe, tui,
 3 qui tecum crebris optavit vivere votis,
 4 ardenti coluit qui tua jussa fide,
 5 sentit in excelso jam maxima gaudia caelo,
 6 laetus et angelico gaudet inesse choro.

7 Jam placuisse suos tibi, maxime Christe, labores
 8 gaudet et in gremio discere multa tuo.
 9 Jam cur non aliter roseo quam sanguine Christi
 10 possint placari crimina nostra videt.
 11 Aspicit et praesens, quam miro foedere Christus
 12 sit Deus et pariter crimine purus homo.
 13 Denique jam felix omnique ex parte beatus,
 14 forti mundanas pectore spernit opes.
 15 Vivus enim verae curam pietatis habebat,
 16 et custos purae relligionis erat.
 17 Nam sibi commissum ter denos pastor in annos,
 18 constanter sanctum rexit ovile Dei.
 19 Egit et excubias ne perfida turba luporum,
 20 inferrent caro noxia damna gregi.
 21 Quattuor et natas natos totidemque reliquit,
 22 in vera erudiit quos pietate pater.
 23 Officii tandem cum munera justa subiret,
 24 quod gratum summo noverat esse Deo.
 25 Emeritus vitae supremam finiit horam,
 26 seque pia justum credidit esse fide.
 27 Ejus in hoc tumulo mortalia membra quiescunt,
 28 mens capit in summo gaudia vera polo.
 29 Haec igitur quicumque vides monumenta, precare
 30 ut recubent patris molliter ossa mei.

CATHARINAE FRISIAE.

T2_8 v.1 Hoc tumulo Catharina cubat pietate fideque
 2 conspicua, et sexus lausque decusque sui.
 3 Frisius huic Nicolaus erat virtute maritus
 4 praestans, ad ripas, Varne canore, tuas.
 5 Filius huic clarus legum jurisque patronus,
 6 Astraeaeque sacrae dux Joachimus erat.
 7 Juditha Paselico pulcherrima filia nupsit,
 8 Paselico, cujus Dania nomen amat,
 9 ingenium et linguam propter mentemque fidelem,
 10 quem caros inter Rex Fridericus habet.
 11 Quem propter vultus Charites, moresque venustos,
 12 et lapis et ferrum est, quisquis amare nequit.
 13 Hoc Catharina viro, nato, generoque beata
 14 hic fuit, in viduo sola relicta toro.
 15 Nunc superis illata choris, sobolemque virumque,
 16 ceu postliminii jure reversa, videt.
 17 Exspectatque simul generum carosque nepotes,
 18 pro quorum in caelo vota salute facit.
 19 Sed tu Paselico diuturnae munera vitae,
 20 da, Deus, ut multis utilis esse queat.
 21 Florentesque adeo senior spectare nepotes,
 22 percipere et meritis praemia digna suis.
 23 Clingius hoc illi et Chytraeus uterque precantur,
 24 optat idem votis Musicus ordo piis.

IOHANNI BORCHOLTO I. F.

T2_9 v.1 Barda cui vitam tribuit, quam rursus ademit
 2 Rostochium, hac sacra conditur aede puer,
 3 scitus, et egregium risu exhilarando parentem
 4 blandus, et a patrio nomine nomen habens,
 5 vitae oculus matri, fratri unica cura tenello,
 6 lacrimulis quorum lumina maesta rubent.
 7 Vix ille ingressus miserandae limina vitae,
 8 cum videt innumeris omnia plena malis,
 9 obstupuit, retroque pedem tulit, et tibi, Christe,
 10 reddidit ultro animae munera grata suae.
 11 Felix qui potuit, mundo minitante ruinam
 12 et clades varias, sic sine labe mori.

DAVIDI CHYTRAEI D. FILIO.

T2_10 v.1 Deus, videns pulcherrimum
 2 domus Chytraei flosculum,
 3 inter rosas amabiles
 4 qui creverat, vel Hespero,
 5 vel ipso Eoo pulchrior
 6 ait : "Mihi tu natus es,
 7 meaeque laudi servies.
 8 Ergo nec inter aspera
 9 dumeta, spinas, et rubos,
 10 mundique sentes horridas,
 11 sed caeli in horto nobili,
 12 sacer mihi educabere.
 13 Choris ut in caelestibus,
 14 puris canas me laudibus,
 15 meque innocentiae piae
 16 fragranti odore recrees."
 17 Nec plura : sed statim manu
 18 carpit Chytraei ex hortulo
 19 tanti decoris flosculum,
 20 qui, plantulas inter sacras,
 21 florebit instar lilii,
 22 fulgebit ut sol aureus.

EIDEM.

T2_11 v.1 Parvulus hic parva jaceo Chytraeus in urna,
 2 qui David patrio nomine dictus eram.
 3 Dictus eram, carusque fui matrique patrique,
 4 hoc etiam ratio nominis apta monet.
 5 Vicit amore patrem mundi servator Iesus,
 6 ardenti matrem vicit amore Deus.
 7 Vos lacrimas saltem ; pro me sed, Christe, cruorem
 8 fundis, et hoc sordes abluis ipse meas ;
 9 vos me mortalem voluistis degere vitam,
 10 tu recipis gremio me, bone Christe, tuo.

SOPHIAE CHYTRAEAE D. FILIAE.

T2_12 v.1 Flosculus ut tenui ventorum flamine motus
 2 decidit, et subito ceu rosa verna perit ;
 3 sic quoque vita levi momento exstinguitur, omnes
 4 nam similes bullae, pulveris umbra sumus.
 5 Sed tamen infantes sacro baptismate loti,
 6 quotquot et in Domino spem posuere suam,
 7 protinus ad veram veniunt per funera vitam,
 8 et gaudent vivum concelebrare Deum.
 9 Hoc Sophia in numero Davidis nata Chytraei
 10 vivit, ut in primo flore perempta fuit.
 11 Cui flos mirificum reddes Jessae vigorem,
 12 te canat ut laetis glorificata modis.
 13 Namque per infantum, laudem tibi perficis, ora,
 14 illorumque tibi verba tenella placent.
 15 Ipse etiam pueris ad te qui rite feruntur,
 16 promittis superi regna beata poli.

PETRO A MENCINGEN.

T2_13 v.1 Justitia magni, et vera pietate probati,
 2 hic Mencingiaci sunt monumenta Petri.
 3 Pro patria hic Turcas repulit florentibus annis,
 4 est auratus ubi postmodo factus eques.
 5 Redditus inde suis placido moderamine rexit,
 6 justaque jura reis innocuisque dedit.
 7 Inprimis summi protexit ovilia Christi,
 8 pastoresque pium qui docuere gregem.
 9 Foverit ut Musas, dederit quae praemia doctis,
 10 tota Chytraeorum stirps mihi testis erit.
 11 Sunt alii testes, clara qui voce fatentur,
 12 quod fuerit viduis pauperibusque parens.
 13 Ergo opibus rursus magnis divinitus auctus
 14 floruit, et summo dignus honore fuit.
 15 Sed nihil ampla domus, nihil inclita nomina prosum,
 16 turgida divitiis nil juvat arca suis.
 17 Mors magnos humilesque rapit. Vere ille beatus,
 18 qui pius in Christum spemque fidemque locat.
 19 Sicut et hac Petrus occubuit tumulatus in urna,
 20 mens cujus superae gaudia lucis habet.
 21 Illius exemplum fida fac mente sequaris,
 22 quisquis in illius substituere locum.

MARGARITAE A GEMMINGEN.

T2_14 v.1 Gemma Gemingiacae jacet hic pulcherrima gentis,
 2 Margaridos dulci nomine grata viro.
 3 Cui dum juncta fuit, ceu Margaris inclita fulsit,
 4 ore, pudicitia, nobilitate, fide.

5 Annulus et pulcher gemma ut fit pulchrior ista ;
 6 dulce decus caro sit fuit illa viro.
 7 Inter et aetherias sic nobilis heroinas
 8 jam micat, angelici gemma decusque chori.
 9 Margaridique comes, Christum quae sanguine fassa est,
 10 concinit ad citharae carmina laeta sonum,
 11 pignoribusque suis, iterum conjuncta marito,
 12 optat ab aeterno plurima fausta Deo.
 13 Salve, gemma nitens, gemma o pulcherrima salve,
 14 gemma Gemingiacaeflosque nitorque domus.

ODYLIAE A ROSSAW.

T2_15 v.1 Hic matrona cubat Rosianae gloria gentis,
 2 Odyliae claro nomine nota suis.
 3 Ut florum regina rosa est, sic illa pudicas
 4 inter matronas regia sceptrata tulit.
 5 Ut rosa fragrantem foliis exhalat odorem,
 6 sic illa ardentes fudit ab ore preces.
 7 Utque ornamentum terrae est rosa, non secus illae
 8 ornavit clari limina clara viri.
 9 Plantarum ut decus est eadem, sic illa suorum
 10 et patriae vixit gloria summa suae.
 11 Utque oculus florum, atque horti nitor illa vocatur,
 12 sic oculus soboli, sic nitor illa fuit.
 13 Denique virgineo velut est rosa plena rubore,
 14 sic illa innocuo plena pudore fuit.
 15 Nunc rosa tam speciosa jacet contecta sepulchro,
 16 sed spirant loculi marmora tota rosas.
 17 Aeterni donec redeant primordia veris,
 18 haec iterum nostrae vita futura rosae est.
 19 Quisquis es, e tumulo roseas suspende corollas,
 20 his similem vitam nec dubita esse tuam.

CORNELIO GRAPHEO, AD ALEXANDRUM GRAPHEUM F.

T2_16 v.1 In tumulum volui contexere pauca Graphei
 2 carmina, marmoreo conspicienda tholo.
 3 Talia sed Clio : "Frustra quid perdere tempus
 4 niteris, et vano multa labore queri ?
 5 Omnis namque virum magnorum terra sepulchrum est,
 6 non eget insculptis gloria vera notis.
 7 Gloria vera etiam scripto sine nota vagatur,
 8 implet et eas occiduasque plagas.
 9 Et licet in tumulo vestigia nulla supersint,
 10 quae qui conspiciant unus et alter erunt :
 11 mente tamen memorique manet sub pectore virtus,
 12 multorum et volitat nota per ora virum.
 13 Verius haec tumba est magni dicenda Graphei,
 14 quam quae magnificis conspicitur titulis."
 15 Talibus admonitus, flexo pede, detraho tegmen,
 16 obsequor et dictis diva benigna tuis :

17 hinc promissa tuo jam pridem carmina patri,
18 ignosce, eventum non habuere suum.

IOH. JACOBO OERMANNO VANGIONI,
IN GRATIAM VIRI OPT. CHRISTOPH. OERMANNI EJUS FRATRIS.

HOSPES (H.) ET JUVENTAS (J.) COLOQUUNTUR.

T2_17 v.1 H._ Quis situs hic ? J._ Juvenis florenti aetate peremptus
2 corporis excellens ingenique bonis.
3 H._ Quid cruor ? J._ Incautum letali vulnere laesit,
4 in scelus a furiis exagitata manus.
5 H._ Quae divae assistunt tumulo ? J._ Prima inclita virtus
6 est comes in lacrimas officiosa meas.
7 H._ Altera quae ? J._ Nemesis, qua vindice criminis auctor
8 ibit ad infernas sanguino lentus aquas.
9 H._ O dubios vitae casus, finemque latentem !
10 Humana o quantum pectora noctis habent !
11 J._ Ergo Deum pietas vitaeque modestia placet,
12 exitus in dubio est, mors sua quemque manet.

ELISABETHAE BOLTIAE.

T2_18 v.1 Ingeniosa, decens, et amabilis ore venusto,
2 hic quoque cum reliquis Elisabeta cubat.
3 Parvula quae pariles inter secreta puellas
4 dum ludit, subito pondere tacta jacet.
5 Exanimem flevere patres, flevere propinqui,
6 illa sed in summo ridet ovataque polo.
7 Caelestesque inter numquam moritura puellas,
8 exsilit, hic laetam nulla ruina premet.
9 Mors certa est, incerta dies, modus, horaque mortis.
10 Quis scit an haec eadem te quoque fata vocent.

IOHANNI GALLO.

T2_19 v.1 Cedite degeneres, cristati cedite Galli,
2 sanctior hic Gallus nobiliorque jacet.
3 Quem pietas, doctrina, fides, constantia, candor,
4 et Charites donis excoluere suis.
5 Gallus hic in multos huic templo praefuit annos,
6 et cecinit summo carmina saepe Deo.
7 Gallus hic excubias oculis vigilantibus egit,
8 semine pro Christi, Christicolaque grege.
9 Stertentesque animos et pigros surgere jussit,
10 iudicii clamans non procul esse diem.
11 Acris hic inspector cunctorum facta notabat,
12 blandus et asperior quando decebat erat.
13 Nemo fuit corvis upupisque infensior hostis,

14 cycnaeo melior carmine nemo fuit.
 15 Ille Dei plena praeconia voce canebat,
 16 Ille Dei vehemens hostibus hostis erat.
 17 Hic contra accipitres et saevos vulturis ungues
 18 defendit pullos voce sonante suos.
 19 Lusciniae constans et fidus amicus alaudae,
 20 illarum adjunxit carmina saepe suis.
 21 Jam sacras inter volucres, quae facta Jehovahae
 22 concelebrant, numquam post moriturus agit.
 23 Huic Gallo exsequias gratae celebrate volucres,
 24 vix similis vobis postmodo Gallus erit.

MATTHAEO ROSELERO. M. F.

T2_20 v.1 Hac ego filiulus Roseleri contegor urna,
 2 spes exorta patri, sed cito rapta meo.
 3 Saepe diu curis alii cruciantur acerbis,
 4 hic ubi sunt miseris omnia plena malis.
 5 Me Deus ostendit tantum, mox abstulit orbi.
 6 O quanto melior sors mea sorte tua est !

MATTHAEO ROSELERO.

T2_21 v.1 Sparge rosas lacrimis madidas, subsiste viator,
 2 hic rosa perpetuo digna vigore jacet.
 3 Quae rosa ? Non Roselerus erat tibi cognitus ille ?
 4 Eximius Roseae splendor honosque scholae.
 5 An notus non ille foret ? Rosa candida salve.
 6 Integer et niveus nam Roselerus erat,
 7 fragrantemque sui passim spirabat odorem,
 8 dotibus ingenii, dotibus eloquii.
 9 Omnibus aspectu gratus, ni vulnera spinae
 10 sensisset variis vita repleta malis.
 11 Sic igitur, Roselere, jaces, ut amabilis orta
 12 quae rosa luce fuit, vespere sicca perit.
 13 Dum rosa plena viret grata est, cum decidit illa,
 14 arida tum nulli spina placere potest.
 15 Momento rosa tacta perit : sic optima vitae
 16 pars fugit, et morti praeda cruenta sumus.
 17 Necte puer roseas tumuloque appone corollas,
 18 non dubius vitam sic properare tuam.

BEATAE, CONJUGI HOLGERII GERAЕ.

T2_22 v.1 Aurati hic equitis Bossonis filia, conjunx
 2 Holgerii Gerae, sancta Beata cubat.
 3 Pulchra animo, formosa genis, et corpore toto,
 4 eximioque decus confugiumque viro,
 5 hac matre, et Carolus, fraterque Georgius, uno
 6 coeperunt nati tempore luce frui.
 7 Ambo Geranae decus et pulcherrima gentis

8 lumina, Palladii praesidiumque chori.
 9 Salve magna parens, patriae fecunda saluti,
 10 quam pariens geminos, jure Beata beas.

BENEDICTO HOLGERIO.

T2_23 v.1 Hic Benedictus eques gemmato torque decorus
 2 ensifer, optatae dona quietis habet.
 3 Donec ad aetherii revocatus lumina caeli,
 4 incipiat vita non pereunte frui.

CHRISTINAE UXORI CAROLI GERAЕ.

T2_24 v.1 Hic Caroli Gerae conjunx Christina quiescit,
 2 praestans ingenio, nobilitate, fide.
 3 Cara Deo, dilecta viro, spes unica nato,
 4 cum patre qui matris cladibus ingemuit.
 5 Ast illa aetherias inter decus heroinas,
 6 vitae habet aeternas nobilioris opes.

HOLGERIO GERAЕ.

T2_25 v.1 Hic puer ingenio, praestantique indole clarus,
 2 spes patris et matris conditur Holgerius.
 3 Holgerius, Caroli Gerae pulcherrima proles,
 4 cum quo jam verae gaudia pacis habet.

IOHANNI KAMPFERBEGO.

T2_26 v.1 Vir bonus, et prudens, pietatis amator et aequi,
 2 patronus doctis confugiumque viris,
 3 hic Kampferebegus mortales condidit artus,
 4 orba viro tali clara Lubeca dole.
 5 Hic pace et bello praestans gravitate senator
 6 sustinuit patriae grande salutis onus.
 7 Deditus huic, toto cum nil antiquius orbe
 8 crederet, antiquam praestitit ille fidem.
 9 Civibus huic prodesse labor, succurrere egenis,
 10 et prorsus nulli cura nocere fuit.
 11 Nunc quam supremo uxorem praemiserat anno,
 12 hanc uno sequitur consequiturque die.
 13 Felix qui portum, dum nos jactamur in alto,
 14 attigit, et caeli regna beata tenet.

ALIUD.

T2_27 v.1 Quis situs hic ? Christo et patriae carissimus heros,
 2 maximus invicto pectore, mente, manu.
 3 Cujus non animum vis aut fortuna subegit,

4 victus inaudita fraude doloque jacet.
 5 Qui jacet ? Immani primo illum vulnere laesit
 6 servus ad hoc ipsum turpiter emptus opus.
 7 Mox contra jus et totiens data foedera rursus
 8 saucius, ex alto praecipitatus obit.
 9 Quae divae assistunt tumulo ? Prima optima rerum
 10 relligio scissas dilaniata comas.
 11 Altera quae ? Nemesis, qua vindice conscia caedis
 12 ad Stygios ibit sanguine tincta lacus.
 13 At, generose heros, laus vita et gloria parta est
 14 non occidendo sed moriendo tibi.

EZECHIAE RICHIO.

T2_28 v.1 Gryphswaldi decus, et medica Podalirius arte,
 2 et Pomeranorum cura benigna ducum
 3 Ezechias jacet exstinctus, quem magnus Apollo
 4 et Charitum deflent Pieridumque chori.
 5 Vix illo quisquam veraci suavior ore,
 6 aut fuit ingenua simplicitate prior.
 7 Vix illo verae pietatis amantior ullus,
 8 ingenio aut major consilioque fuit.
 9 Vix quis quam norat medicas exactius herbas,
 10 aut aegris fidas applicuisse manus.
 11 Contulit hoc docili felix Bordingus alumno,
 12 fidaque Felsincae cura laborque scholae.
 13 Et nunc ille alios magna cum laude docebat,
 14 jam morbis pallor, febribus horror erat.
 15 Non tulit hoc Lachesis, totiens sua fila teneri
 16 impatiens, saevam subsecuitque colum.
 17 Dumque illum putat exanimem, vere ille superstes,
 18 gaudebat vita jam meliore frui.
 19 Namque illi aeternam radix Jessaea salutem,
 20 radicisque dedit germine nixa fides.

'PHILADELPHIA' (grec translittéré) ET OBITUS GEORGII ET JACOBI FABRICIORUM.

T2_29 v.1 Vixere unanimi concordēs pectore fratres
 2 Jacobus et Georgius.
 3 Hic equidem senior, nam natu maximus, illi
 4 fuerat magister et parens :
 5 officiisque simul meritisque adjuverat olim,
 6 ornaverāt, evexerat ;
 7 non tamen idcirco vento turgebat inani,
 8 fratremque more patrui,
 9 antiqua gravitate rigens, terrere solebat,
 10 aut exprobrare jam viro
 11 quae puero benefecisset : non commoda fratris
 12 sibi arrogabat omnia.
 13 Sed velut ex animo, non quaerens propria, quondam
 14 annis minorem juverat :
 15 sic etiam vere complectebatur adultum,

16 amore suavi et candido.
 17 Nulla ibi suspicio, nulla exprobratio, nullum
 18 fastidium vel torvitas.
 19 Non salso perfusa joci mordacis aceto
 20 nigraeque linguae verbera.
 21 Nulla supercilii nubes, simulatio nulla,
 22 et nulla diffidentia.
 23 Nullae etiam sine corde manus, sine pectore lingua,
 24 ingrata quarum gratia est.
 25 Sed sincerus amor, sed amabilis illa venustas,
 26 et cuncta aperta et libera.
 27 Sed fraterna fides, niveoque in pectore candor,
 28 vereque grata gratia.
 29 Junior hinc etiam senioresem semper amabat,
 30 et fratris et patris loco.
 31 Velle duobus idem, sed idem quoque nolle duobus,
 32 eratque cura mutua :
 33 unus ut alterius sua commoda crederet, illum
 34 et se putaret alterum.
 35 Quidquid et optaret fieri sibi, semper id ipsum
 36 praestaret alteri libens,
 37 vitalemque sibi vitam non crederet unus,
 38 nisi altero superstite.
 39 Hinc Jacobe tui post tristia fata Georgi
 40 salvus diu esse non potes :
 41 hinc desiderio flagranti et victus amore,
 42 aetatis in flore tuae
 43 occidis, et vivo ut fratri praesto esse solebas,
 44 et sic ades nunc mortuo.
 45 Quin vivo potius ; nam vos sacra regia caeli,
 46 inter magistros optimos
 47 inter et eximios gaudet numerare poetas,
 48 virosque candidissimos.
 49 Cedite Tyndaridae : fratrum par sanctius hic est
 50 concordia et vera fide.
 51 Hinc petite exemplum discordes nobile fratres,
 52 quos livor et lis conficit.
 53 Illustres animae, vivas quas vivus amavi,
 54 domestico in consortio,
 55 nunc quoque post obitum vestro salvete Chytraeo,
 56 valete, fratres optimi.

IOACHIMO HOLSTENIO.

T2_30 v.1 Vir verae pietatis amans, vir stirpis avitae
 2 gloria, laudatae vir nobilitatis imago,
 3 qui juvenis Turcas, per mille pericula victor,
 4 qui Gallos Italosque adiit saevosque Britannos,
 5 quique per Oceanum sitientes vectus ad Afros
 6 asseruit Romanam aquilam, fortissimus heros
 7 hostibus haud tergo sed vultu et fronte timendus,
 8 qui rediens, viduis columen, templisque scholisque
 9 confugium, cunctisque fuit solamen egenis :

10 hac Joachimus humo situs est Holstenius ille
11 corpora si quaeris ; caeli mens incolit arces.

NICOLAO STOTEROGGIO.

T2_31 v.1 Excellens ista Stoteroggus conditur urna,
2 condere tam magnum si brevis urna potest.
3 Consule patre satus, consul mox praefuit ipse,
4 Lunaeburga decus praesidiumque tuum.
5 Prima viro pietas cordi, vitaeque beatae
6 gaudia, vulneribus, Christe, parata tuis.
7 Hinc populi patriaeque parens sic omnia fecit,
8 publica privatis ut potiora forent.
9 Largus opum, comis vultu, gravitate severus,
10 mors similis vitae sancta brevisque fuit.
11 Nunc proceres inter sanctos caelique senatum
12 quam nasci satius nos docet esse mori.

ANDREAE MARTINO.

T2_32 v.1 Hic scelerum terror, divini buccina verbi
2 Martinus jacet Andreas, venerabilis ore
3 augusto, praestans animi, zeloque verendus,
4 Itala quem juvenem tellus cultissima vidit,
5 Dania quem magni pendentem oracula Christi
6 obstupuit, cum rege ipso, regumque ministris.
7 Post etiam patrii quem templa scholaeque Roseti
8 audivere gravem eloquio, vitaeque decenti
9 innocuum. Nunc ille cava jacet obrutus urna,
10 Templae, scholae, domuumque patres et patria plangat,
11 vix habitura viro similem venientibus annis.

GERARDO PAULO, IN GRATIAM ANDREAE PAULI F. V. CL.

T2_33 v.1 Hic mea Paulinus ferali membra sepulchro,
2 et posui moriens corporis ossa mei.
3 Me claris Brunsviga viris celeberrima, claro
4 consule prognatum fovit et erudiit.
5 Post quoque Leucoream me provida misit ad Albim,
6 doctrina ut fruerer, magne Philippe, tua.
7 Hinc patris Italicas jussu ablegatus in oras
8 ingenio fructus uberiore tuli.
9 Attamen ante alias mihi clara scientia juris,
10 et placuit superi lumina nosse poli ;
11 mox juvenis patriis essem cum redditus oris,
12 laudibus eloquii judiciiue valens :
13 urbs populosa meae sua saepe negotia curae
14 credidit, ingenii dotibus usa mei.
15 Saepe ego Musarum pulcherrima castra secutos,
16 adjuvi larga sustinuique manu.
17 Saepe mihi magnas egit Respublica grates,

18 consiliis gaudens tuta vigere meis.
 19 Sed Dominus veram patriam, veramque quietem
 20 jam dedit. Huic laetus carmina laeta cano.
 21 Patria cara vale, et nostros complectere natos,
 22 ut facie similes, sic quoque mente patri.
 23 Tu quoque cara vale conjunx, victrixque dolorum,
 24 jam lacrimis facito tristitiaequae modum.
 25 Me sine morte quies, sine funere vita, sine ullo
 26 gaudia peccato, lux sine nube beant.

ERASMO ALBERO.

T2_34 v.1 Hic situs Alberus, magni collega Lutheri
 2 qui fuit, et verbi buccina clara Dei.
 3 Acta quidem patria est, sed dicta docentis alumni
 4 non quanta decuit relligione tulit.
 5 Nam gravis eloquio, vita sanctissimus ille
 6 cum foret, et Christi vera doceret oves ;
 7 non tulit hoc Sathanas, qui pulsum hinc inde vagari,
 8 et voluit durae pondera ferre crucis.
 9 Testis Havelus erit, Rhenus mihi testis, et Albis,
 10 damna quibus tanti sunt bene nota viri.
 11 Nunc tamen ingrati ridens convicia mundi,
 12 praemia fert niveis palmea sarta comis.
 13 Scripta viri ingenium multis testantur in oris,
 14 puraque Teutonicis carmina facta modis.
 15 Tres natae faciem referunt. Gertrudis at uxor
 16 permanet in viduo casta decensque toro.
 17 Quisquis es hunc ausus praeconem laedere Christi,
 18 te gravis ira Dei, te tua poena manet.

ANNAE MOLLERAE.

T2_35 v.1 Hic quoque cum reliquis tua stirps Hervordia proles
 2 molleri conjunx Anna sepulta jacet.
 3 Anna bonis animi, formoso corpore praestans,
 4 inter honoratas nomen adepta nurus.
 5 Cara viro et soboli, dilectae cara sorori,
 6 nunc tamen in supera carior arce Deo :
 7 post mortem quia morte caret mens dedita Christo ;
 8 huic moriens firma se dedit illa fide.
 9 Altera sic caelo pars cessit, et altera terrae,
 10 extremus donec jungat utramque dies.
 11 Qui legis ista, mori viridi quoque corpore disce,
 12 mors, cum vita brevis sit, procul esse nequit.

HERMANNO CARSTENIO.

T2_36 v.1 Hac jacet Hermannus, patri cognominis, urna,
 2 ingenio excellens et probitate puer.
 3 Clara Lubeca illi patria est, Carstenia vitam

4 gens dedit, egregiis nomen adepta viris.
 5 Nec minus ille fuit materno clarus ab ortu,
 6 Meierae quis non nomina stirpis amat ?
 7 Sic satus, et recte primis eductus ab annis,
 8 creditus est, rapto patre, columna domus,
 9 et viduae columen matri, doctoque bonoque,
 10 post Engelstedio quae bene nupta fuit.
 11 Privignum vere patrio qui amplexus amore,
 12 illius inspector dux studiisque fuit.
 13 Hoc duce Castalias Varni dimissus ad undas,
 14 coeperat ingenio cultior esse suo,
 15 et superare pares : quod mors tamen improba tandem
 16 non tulit, huic saevas intulit illa manus.
 17 Carsteniae ergo jacet spes optatissima gentis,
 18 reddita mens caelo est, corpora condit humus.
 19 Fortunate puer roseis carissime Musis,
 20 qnua quae matris munere dona ferunt,
 21 molliter hic placideque ista sub mole quiesce,
 22 te tuba vivifico dum vocet alta sono.
 23 At tu disce mori. Pueri si conspicis urnam,
 24 quis scit an ad metam te quoque fata trahant.

IOHANNI DURERO.

T2_37 v.1 Trava dole, tuus ecce jacet Durerus alumnus,
 2 qui magno ingenio, corpore parvus erat.
 3 Calliope placidis natum quem vidit ocellis,
 4 cui facilem tribuit doctus Apollo chelyn.
 5 Quem Varnus triplicis mysteria pandere linguae,
 6 et numeris caeli vidit adire plagas.
 7 Quem Nicer et Viadrus, cumque Albi flavus Elister
 8 mirati vultus exseruere suos.
 9 Nunc tamen ille jacet diuturna tabe peremptus,
 10 deploratque decus Musica turba suum.
 11 Varne, gemis, repetuntque tui sua carmina cygni,
 12 Tu, Durere, poli flamma tecta subis,
 13 ante alios felix, fama superstite vivus,
 14 principium vitae est tam bene posse mori.

ALBEREO KIRCHOVIO.

T2_38 v.1 Spes generis, fratrumque decus, matrisque voluptas,
 2 huic dedit Albertus membra caduca solo.
 3 Cui genitor Bartoldus erat, quo consule quondam
 4 res fuit optato Rostochiana loco.
 5 Hic puer ingenium studiis et moribus ornans,
 6 in variis adiit clara Lycaea plagis.
 7 Delia testis erit, mihi Sequana testis et Albis,
 8 cumque Mosa et Ligeri Matrona testis erit.
 9 Qui videre suae spatiantem in margine ripae,
 10 cum peteret cupido Celtica regna pede.
 11 Illic civis eum Biturix dilexit, et acres

12 ingenio et legum cognitione viri.
 13 Quorum doctiloquo studiosus ab ore pependit,
 14 Astraeae addictus Pieridumque gregi.
 15 Subdita tum gladiis nondum sacra jura silebant,
 16 sed pax Musarum dulcis alumna fuit.
 17 Ast ubi concussit streperum Bellona flagellum,
 18 et furiae celebres diripuere scholas ;
 19 redditus est patriae, juvenilibus integer annis,
 20 spes erat hunc multos vincere posse pares.
 21 Non tulit hoc Lachesis, quae primo in flore juventae,
 22 crudeli abruptit pendula fila manu.
 23 Varne, dole, repetantque tui lugubria cygni
 24 carmina, nam nymphis spes jacet ampla tuis.
 25 Ut puer accensam stillante bitumine taedam,
 26 aut foveat, aut lapso caelitus imbre necat :
 27 momento sic vita levi jam robora sumit,
 28 jam subito in cineres, morte soluta, redit.
 29 Felix qui superum laetas susceptus in arces,
 30 transigit aeternos absque labore dies.

MAGDALENAE SCHOEZENIAE.

T2_39 v.1 Magdalis hic Hassi carissima conditur uxor,
 2 uxoris specimen femineique gregis.
 3 Quae cum nobilibus prognata parentibus esset,
 4 et jam conjugio proxima virgo foret ;
 5 maluit aetherei praeconi nubere verbi,
 6 illum nobilibus praetulit ipsa procis.
 7 Illius e vultu formosa modestia, virtus,
 8 et pudor, et probitas luxit et alma fides.
 9 Dona quid ingenii, quid formae munera laudem ?
 10 Quidve sui fuerit quam studiosa viri ?
 11 Cetera quid repetam ? Nihil hac urbs pulchrius inter
 12 femineos habuit Rostochiana choros.
 13 Non tamen erubuit tantum decus improba pestis
 14 tollere, nec summis parcere sueta viris.
 15 Exanimem luget pietas, dolet ipse maritus,
 16 pro thalamo tumuli jam monumenta videns.
 17 Sed tu, qua gaudet jam sede puerpera caeli,
 18 sidereas inter ludis ovasque nurus.
 19 Dilectoque optas felicia cuncta marito,
 20 cum gemitu et lacrimis qui tua fata dolet.
 21 Cui tu cara quidem fueras, sed carior ipsis
 22 caelicolis, summo carior atque Deo.
 23 Huic quicumque placet, moritur cito : Magdalis illo
 24 sicut et in numero, tam cito rapta, fuit.

ALIUD.

T2_40 v.1 Pro Christo contra Turcam qui bella secutus,
 2 auxilio Istricolis Pannoniaeque fuit.
 3 Haec vivens sibi Christophorus monumenta paravit

4 Christophorus, mortis cum pietate memor.
 5 Ut belli requiem caelesti a principe nactus,
 6 hic olim latitans otia pacis agat.

DANIELI RANTSOVIO.

T2_41 v.1 Consilio dextraque potens, et gloria Martis,
 2 hoc situs est Daniel marmore Rantsovius,
 3 Cimbrica gens patriam, praeclarum Gosgius ortum
 4 praebuit, antiqua nobilitate parens.
 5 Leucoris ingenium excoluit, gens Itala mores
 6 et linguam, fortes Gallia culta manus.
 7 Omnia quae patriae rediens convertit in usum,
 8 dum caput est belli, Rex Friderice, tui.
 9 Dum sponsae et vitae patriae praeponit amorem,
 10 et ruit intrepida sponsus in arma manu :
 11 pro patria nunc ille jacet, non ense peremptus,
 12 machina muralis talia damna dedit.
 13 Defunctum luget virtus, Rex, patria, fratres,
 14 sponsa, Fides, Bonitas, Cypria, Pallas, Hymen :
 15 hostis et ipse dolet, rapuit lux una, sed illi
 16 postmodo vix similem saecula longa dabunt.

EIDEM.

T2_42 v.1 Cui robur Diomedis erat, cui pectus Ulyssis,
 2 hoc Daniel tegitur marmore Rantsovius :
 3 Cimbrica gens patriam, praeclaros Gosgius ortus
 4 praebuit, ingenium Leucoris excoluit.
 5 Qui mores, arma et linguam callebat ad unguem,
 6 Romule cumprimis culteque Galle tuam,
 7 praeclaram qui spem patriae regique ciebat,
 8 dum gerit intrepida fortia bella manu ;
 9 pro patria nunc ille jacet. Num clarius umquam,
 10 aut potuit nasci, splendidiusve mori ?

EIDEM.

T2_43 v.1 Quod rarum est, Marti et Mosis carissimus heros,
 2 Rantsovius praestans corpore, mente, manu,
 3 hic cubat. Aequales virtuti credidit annos
 4 Parca virum rapiens, quem putat esse senem.
 5 Sed domitrix fati Musa est, et gloria Martis
 6 durat in extremos non peritura dies.
 7 Ambos Rantsovius meritis sibi fecit amicos,
 8 illius hinc semper nobile nomen erit.

HERMANNO CARSTENIO.

T2_44 v.1 Sanguine patricio Travae prognatus ad undas,

2 instat ubi Arctoo clara Lubeca mari,
 3 Carstenius jacet hic, clara puer indole notus,
 4 et columnen matri praesidiumque domus.
 5 Ille tener Roseam Varni dimissus in urbem
 6 dum studet ingenio cultior esse suo,
 7 abripitur superas Christo dilectus in auras,
 8 pars ubi Gymnasii nobilioris erit.
 9 Rector ubi doctorque Deus, cui tota piorum
 10 contio, et aligerum plaudit ovatque chorus.
 11 Siste tuas mater lacrimas, nam carior ille,
 12 quam tibi, siderea vivit in arce Deo.
 13 Omnia sunt hominum gemitus, labor, omnia luctus,
 14 qui mortem effugeret nullus in orbe fuit.
 15 Nil hic forma potest, nil primo in flore juvenus,
 16 fretus opum cumulo mox jacet in tumulo.
 17 Omnibus hisce malis liber, tuus aethera natus
 18 incolit, aeternis perfruiturque bonis.
 19 At tu qui niveos jam cernis in arbore flores,
 20 quos dedit et subito mobilis aura rapit,
 21 disce tibi agnatos alieno in funere casus,
 22 et memor esto dies sic properare tuos.

CATHARINAE CELICHIAE.

T2_45 v.1 Celichius Christi praeco, vatesque fidelis,
 2 filiolae hic posuit membra tenella suae.
 3 Quae quia sanguinea lota est baptismatis unda,
 4 nomine, quin etiam re Catharina fuit.
 5 Munda Deo, dilecta patri, sed carior orbis
 6 rectori, in cuius jam cubat illa sinu.
 7 Et pater in terris Christi dum servit honori,
 8 eloquioque pio carminibusque piis,
 9 sidereis Catharina choris castisque puellis
 10 addita caelesti concinit ore Deum.

IOANNI FLAMINIO.

T2_46 v.1 Ecquis non doleat ? Quis lacrimis modum
 2 nunc ullum statuat ? Quando vir optimus
 3 Musarumque decus concidit aureum.
 4 Quando flos Charitum jacet.
 5 Ergo Flaminium, Flaminium meum,
 6 mors velox manibus sustulit invidis.
 7 Cui simplex pietas, justitia et fides,
 8 laudem contulit inclitam.
 9 Mitis cui bonitas, puraque veritas,
 10 inque amplis opibus rara modestia,
 11 in Musasque sacras munificentia,
 12 quando ullum invenient parem ?
 13 Cunctis ille bonis flebilis occidit,
 14 nulli flebilior quam misero mihi,
 15 qui patrocinio destituor viri,

16 quo sol nil melius videt.
 17 Cum quo sancta fides, et mea gaudia,
 18 cum quo Pieridum spes jacet obruta
 19 nocturnis tenebris, et Charites latent
 20 tectae nube silentii.
 21 O si jam liceat fata recludere
 22 effusis precibus et querimoniis !
 23 O huic si redeat sanguis imagini,
 24 tam caro et capiti decus !
 25 Sed frustra gemitu talia lugubri,
 26 quin et Flaminium non ita creditum
 27 causantes petimus. Quod fieri nequit,
 28 mollescat patientia.
 29 Arces interea tu colis igneas,
 30 illustres animas condecorans tuo
 31 vultu, colloquio, cantibus, et Deum
 32 mundi conspicias immemor.
 33 In terris sed ego, quod tibi debui,
 34 perfuso calidis carmine lacrimis,
 35 Musae trado tuum jam Polyhymniae
 36 nomen, laude superstite.

BARBARAE FABRICIAE MATRI CARISS.

T2_47 v.1 Tu quoque, cara parens, non re, sed nomine tantum
 2 Barbara, in hoc tumulto morte perempta jaces.
 3 Morte quidem subita nimium natisque patrique
 4 qui crebro officiis indignere tuis.
 5 Sed tu cara parens meliori sede recepta,
 6 despicias humanae condicionis onus.
 7 Felicesque inter felicior ipsa, supremo
 8 grata facis, blando dicis et ore Deo.
 9 Da Deus ut quondam matri conjunctus amatae,
 10 grata tibi simili condicione canam.
 11 Interea hos dilecta parens cum carmine fletus,
 12 a nato summi pignus amoris habe.

THEOPHILO CHYTRAEO FRATRI.

T2_48 v.1 Et tu care mihi, Christo sed carior, urna,
 2 frater, in hac tenerum corpus et ossa tegis.
 3 Scilicet ut ratio te nominis apta monebat,
 4 parvulus aetheria sede receptus obis.
 5 Dilectus superis, vereque Theophilus ille est,
 6 qui patitur primo funera flore puer.
 7 Jam mihi dic, toto quid sit pretiosius orbe,
 8 quam puerum summo complacuisse Deo.

TITIS CHYTRAEIS DUOB. FRB.

T2_49 v.1 Vos etiam viridi fratres aetate perempti,

2 quorum habuit magni nomen uterque Titi,
 3 corporis hac posuistis humo fragmenta tenellis,
 4 aeternae mentes gaudia lucis agunt.
 5 Conjunctaeque patri caro, matrique vicissim
 6 oscula dant matri basiolumque patri.
 7 Caelestesque animas inter puerosque beatos,
 8 exercent hilares ad cava plectra choros.
 9 Vivite felices animae, aeternumque valete,
 10 donec et ad superos me mea meta vocet.
 11 Interea has lacrimas dilecto a fratre profusas,
 12 carmen et hoc animi pignus habete mei.

MARIAE CHYTRAEAE SORORI.

T2_50 v.1 Et tu prae reliquis mihi cara sororcula salve,
 2 sidereae nomen quae genitricis habes.
 3 Tu forma, ingenio, praeclaraque indole, longe
 4 es solita aequales vincere parva tuas.
 5 Balbutire tibi tenero vix ore licebat,
 6 cum poteras tremula fundere voce preces ;
 7 doctrinaeque sacrae cum fundamenta teneres,
 8 litterulas tenui jungere docta sono.
 9 Unde pio spes magna patri, matrique voluptas
 10 orta, sed exiguo tempore rapta fuit.
 11 Scilicet angelicae visa aptior esse cohorti,
 12 parvula caelicolis es sociata choris.
 13 Voce ubi nunc, teneraque manu, facieque venusta
 14 plaudis, et ad patrios ludis ovasque pedes.
 15 O utinam simili mihi blanda sororcula vultu
 16 occurras, caeli cum sacra tecta petam.
 17 Porrectaque manu, tenera me voce salutes,
 18 fratris et infigas oscula mille genis.
 19 Fallor an adveniet celeri optatissima cursu
 20 lux ea, non adeo quam procul esse puto.
 21 Lux ea finis erit cunctorum et meta malorum,
 22 et fons laetitiae principiumque novae.
 23 Hac pariter si, Christe, voles, post fata fruemur,
 24 interea placide cara quiesce soror.

DAVIDI AETIO SORORIS FILIO.

T2_51 v.1 Et tu blande nepos Helena prognate sorore,
 2 David in hoc numero commemorandus eris.
 3 Non mihi vise quidem, sed nomine care parentis,
 4 hic tua sunt humili condita membra loco.
 5 Quod si vera mihi de te bona fama recenset,
 6 corpore in exiguo mens tibi magna fuit.
 7 Et si vita tibi paulo data longior esset,
 8 par fueras patri parque futurus avo.
 9 Sed quid Psalmographi nomen te nobile regis,
 10 dilectum miti praedicat esse Deo ;
 11 prorsus et in toto nihil est optabile mundo,

12 cunctaque sunt vitiis, cuncta repleta malis :
 13 te non ille diu misera tellure relinqui,
 14 sed voluit supera luce domoque frui.
 15 Parve puer, pueroque puer carissime Christo,
 16 salve omni felix tempore, parve puer.
 17 Et quibus orno tuam dilectus avunculus urnam,
 18 carmina sinceri pignora cordis habe.

ANNAE VOEGELINAE.

T2_52 v.1 Fida mente Deum, fido quae corde maritum
 2 dilexit, clari filia clara Papae,
 3 hic cubat Ernesti conjunx carissima, luge
 4 quisquis amas tanti prela typosque viri.
 5 Non illo melius quidquam, non doctius, inter
 6 egregios edunt qui bona scripta viros.
 7 Non etiam melius quidquam, non suavius illa,
 8 non pietate prius, non bonitate fuit.
 9 At nunc ille gemens, Anna cum conjuge condit
 10 gaudia, laetitiam, deliciasque suas.
 11 Et nisi spem faceret mundi servator Iesus,
 12 non posset rupto vivere conjugio.
 13 Hic luctus minuens, animum spe divite pascit,
 14 et spondet superae gaudia certa domus.
 15 Haec olim veteres iterum renovabit amores,
 16 et dabit aeterna posse quiete frui.
 17 Quisquis es, o nimium rebus ne crede caducis,
 18 securas pulsat mors inopina fores.

RODOLPHO MACHENIO.

T2_53 v.1 Civis amans patriae, nulli bonitate secundus,
 2 hic sua Machenius busta Rodolphus habet.
 3 Integer, innocuus, veraci candidus ore,
 4 justitiae, fidei, simplicitatis amans.
 5 Non illo duce vel socio discordia cives
 6 extulit in patriae damna necemque suae.
 7 Non illo duce vel socio plebs vana, regentes
 8 insurgens contra, tela facesque tulit.
 9 Urbis honos illi et pietas ante omnia cordi,
 10 atque adeo nulli cura nocere fuit.
 11 Huic, ubi jam pacem turbari denuo sensit,
 12 donavit caeli regna beata Deus.
 13 Paruit ille libens, quia desiit illa videre,
 14 quae vivo gravius morte videre fuit.
 15 Quisquis es, has placidi laudes imitare Rodolphi,
 16 opprimet et patriam nulla ruina tuam.

ANDREAE WESLINGO.

T2_54 v.1 Frisia quem genuit, studiisque Colonia primis

2 imbuat, et sacras docuit quem Leucoris artes,
 3 quemque audiverunt tractantem Ebraea Borussi,
 4 grammaticumque sacrae linguae quem Varnus amavit,
 5 pelle quiescentem in propria, et majora negantem
 6 viribus apta suis, situs hac Weslingus in urna est,
 7 longaevus multis habitus dictusque. Sed insit
 8 cum nihil humanis firmum et durabile rebus,
 9 nil proprium ; longi merito quid dixeris aevi ?
 10 Quid vitrum fragile a fracto differre putandum est ?

ELISABETHAE CLINGIAE.

T2_55 v.1 Hic matrona jacet nulli virtute secunda,
 2 fida tori consors Bartholomaeae tui.
 3 Cara Deo, dilecta viro, laudata per urbem
 4 omnibus ob fidam munificamque manum,
 5 pauca sed apta loqui, placide parere marito,
 6 custodire domum cui pia cura fuit.
 7 Quam pudor et probitas, blandique modestia vultus,
 8 et verae ornavit relligionis amor :
 9 qua duce jam moriens mortem non sensit acerbam,
 10 visa soporifera fessa quiete frui.
 11 Ergo foris pariterque domi hac consorte beatus
 12 Clingius, id donec fata tulere, fuit.
 13 Quando domo in pulchra nil compare pulchrius ista,
 14 noverat aut cordi carius esse suo.
 15 Atque ideo gravius, tam saevo saucius ictu
 16 ingemit, orbato pectore parte sui.
 17 Uxor quem, supera despectans mitis ab arce,
 18 esse animo laeto, laetior ipsa, jubet.
 19 Cum nil passa mali, sedes nunc incolat illas,
 20 quas Deus et caeli gens numerosa colit.
 21 Utque adeo simili claudas tua tempora fine,
 22 his te compellat, quisquis es, illa sonis.
 23 Ut sancte moriari olim, bene vivere disce,
 24 et bene quo possis vivere, disce mori.

HECTORI AEMILIO.

T2_56 v.1 Hic situs est Hector, non is quem Troja cadentem
 2 ingemuit columen praesidiumque suum.
 3 Verum alius, simul Aemilii qui nomina nactus,
 4 concidit ad Clarii pulchra fluenta Nicri.
 5 Qui tantum ingenio potuit linguaque sonora,
 6 Priamides quantum viribus, ense, manu.
 7 Non negat hoc Biturix, juveni qui laurea sarta,
 8 ceu legum eximio cognitione, dedit.
 9 Qua contentus agens, aliis sua jurgia liquit,
 10 actaque perplexi litigiosa fori,
 11 interea studiis et amicis deditus, inter
 12 quos, Cisnere, etiam nobile nomen habes :
 13 jam quoque defuncti qui perstudiosus honoris,

14 vis lacrimis jungi carmina nostra tuis.
15 At tu finitimam qui conspicias Hectoris urnam,
16 praetereas quamvis, non tamen effugies.
